



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Calvinus Graecus Claissensis agnominatur, & cur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

datus fuerit: is, inquam, qui viuens, multa anima-
 rum millia ad æternum exitum deduxit. De quo
 illud vere, quod olim de alio quodam, dici potest,
 Malum ipsum & didicisse & docuisse, & alios ma-
 los reddendo, seipso peiorem esse factum. Quod si
 omnia ista mala & venena, quæ ab hominibus
 istis profecta sunt, vnam in massam colligantur,
 quis neget illum iniquitatis cumulum iam sese o-
 stendisse? An ergo delirasse Sorbona censenda
 est, quæ regem supplici libello monuit vt Magi-
 stellis illis ex Germania surreptibus aditum in
 regnum suum præcluderet, & iam receptos elimi-
 naret? quum vnus Volmarus tantorum causa ma-
 lorum fuerit, corrupto Caluino, qui postea tot
 hominum millia hæreseos labe infecit. Sed ad rem.
 Caluinus Volmari aliquamdiu vsus consuetudine
 acquisita aliqua Græcæ linguæ cognitione, eius-
 dem consilio obtemperare statuit, relicta Parisi-
 ensi Academia Nouiodunum in patriam reuersus,
 vbi patris opera Canonice, vt vocant, nactus,
 Crucifixi sine Ecclesiæ sumptibus vixit. Volmarus
 interim frequenter ad eum scribebat, librosque
 quos è Germania acceperat, mittebat, acriter ex-
 hortans vt de refoimanda atque illustranda Dei
 Ecclesia cogitationem ac curam serio susciperet,
 multis aspersis laudibus, quibus hominis alias am-
 bitiosi animum vehementer incendebat. Er qui-
 dem ab vno Volmaro ad tantos conatus se impul-
 sum, Caluinus ipse multis in locis fatetur. Quia
 etiam idem Volmarus, licet ab Vrico Duce Wir-
 tenbergico domum reuocatus, literis tamen ani-
 mare Caluinum non cessabat. Illud tamen mi-
 rum cui merito videatur, quod idem Caluinus v-
 bi de vocatione sua agit, Volmari ne verbo qui-
 dem meminit, sed illud tantum inquit, occulta
 Dei providentia se pertractum fuisse.

III. Nouioduni aliquamdiu commoratus Cal-
 uinus, Lutetiam redijt, inque Collegio Fortere-
 stano domicilium habuit. Auditor Ecclesiasticæ
 Historiæ, vt profusus vbiq; est in huius hominis,
 quem Deum pæne fecerunt, laudes; ira hoc loco
 quoque ait, Ecclesiam Domini valde ab eo, post-
 quam Legum studio valedixisset, fuisse amplifica-
 tam, Veritatem docente. O musteam ac recentem
 Theologum! qui diuinam scientiam vix primo li-
 mine à se salutatam, iam alios docere præsumebat.
 Domini illa Ecclesia, quæ Lutetiz colligebatur,
 inuisibilis erat, & nouus hic propheta eo tempo-
 re, de quo hic loquitur historia, nondum vicesi-
 mum & tertium annum ætatis explerat, ac vix ac

ne vix quidē D. Pauli Epistolas perlegerat: quam-
 uis interea eos quos de Fide non optime sentire
 non ignorabat, modis omnibus corrumpere sata-
 geret. Constat sane inter chartas eius ab inqui-
 sitoribus multas deprehensas esse, quæ non suspi-
 cionem hæreseos, sed apertum crimen præ se fer-
 rent. Quum ergo parum tutum se fore arbitrare-
 tur, Engolismam (qui vltimus & remotissimus
 tractus est Parisiensis Curiz iurisdictioni subie-
 ctus) se conculit, vbi triennium Ludouici Tilij
 Canonici Engolismensis & Curionis Calixensis
 (qui Ioannis Tilij, Parisiensis Curiz Protonota-
 rij, & alterius fratri cognominis Meldorum Epis-
 copi frater fuit) sumptibus sese sustentauit, pa-
 tronum interim nutritiorum vice Græcam lin-
 guam, cuius, licet tenuem, habebat notitiam, do-
 cens. Aiuunt quidam, & à multis scriptum inuenio,
 Caluinum magni & detestabilis flagitij à prima-
 rio Boucurtenfis Collegij sodali fuisse acculatum,
 & ad puerorum querelas contumaciæ damnatum.
 In hac officina Vulcanus ille pestilentes suas atque
 hæreticas opiniones primam cudit, quas deinde
 vndiquaq; disseminauit. Hic enim primam Insti-
 tutionum suarum telam exorsus est; quam deinde
 alibi pertexam, ad capiendos simplicium ani-
 mos terendit, passim atque explicauit; quem ego
 librum Hæreticorum Alcoranum vel Thalmud
 non iniuria appellandum censeo, vt in quo omnes
 superiorum temporum & quæ etiam vnquam for-
 te exorientur, hæreses atque errores coagasti le-
 guntur, è Locis communibus Melanchthonis,
 Hyperij, Sarcerij, & id genus libellis magnam par-
 tem confarcinato. At Westphalus Lutheranus me-
 ram Oecolampadii sapientiam ac doctrinam, sed
 immutatam paululum atque amplificatam in eo
 contineri ait.

IV. Porro Græci Calixensis cognomine tum
 Caluinus celebrabatur, eo quod in Curionis illius
 esset familia, quodque Græcæ linguæ quamuis
 non exactam haberet cognitionem, eam tamen
 plurimum ostentaret; tanto maiori cum admira-
 tione quanto tum temporis vsus eius erat rarior,
 qui Gallis non multo post redditus fuit familiaris-
 simus, postquam è patria profugi quidam Græci
 exsules à Cosmo Hetruriz Principe in Italiam ac-
 cersiti sunt, à quibus inde suauissimæ linguæ ri-
 uuli in Galliam quoque nostram profluxerunt.
 Hic ergo Græculus noster, collecta aliqua homi-
 num existimatione & fama, vt erat omnibus qui
 litteras amabant, charus, in omnibus sermonibus
 quos

quos cum eis habebat, religionis iniiciebat mentionem, & quasi aliud agens, mordacibus verbis auctoritatem ac traditiones Ecclesie vellicabat. His ille artibus non difficillime complures magnæ auctoritatis viros in suam sententiam pertraxit: inter quos præcipue fuerunt Antonius de Chailou, Conventus Butevillani Prior, Lutheranorum Papa, postea cognominatus; nec non Abbas Bassacensis, uterque literatus, & in bonis conquirendis libris perquam studiosus; ut & Torfacus, Præfideis dela Place frater, Historici postea munere apud Calvinistas functus. Ad hos Calvinus frequenter ventitabat, interveniente etiam non raro ipso Tilio, in arce quadam non procul ab oppido Engolismensi sita, & Girac appellata, in qua Prior ille Butevillanus ordinarium domicilium habebat. Ibi Institutiones suas Calvinus depromebat, & Theologiæ suæ mysteria revelabat atque explicabat, quantum quoque die scripsisset, ipsis recitans. Quo in labore tam erat assiduus, ut noctes sæpe diebus continuaret, tam somni quam cibi ac potus interim omnino oblitus. Verum enim vero eo quocæpi pede tramitem hunc decurrere, atque integram hominis huius, in malum Gallie nostræ nati historiam pertexere, ac minima etiam persequi libet. Equidem ut in conquirendis varijs quæ eo pertinent documentis nulli labori peperci, sic spero lectorem in cognoscendis impostoris huius, post homines in Gallia natos maxime versipellis, dolis atque astutijs, operæ aliquid non gravate collocaturum.

LUTHERI ET CALVINI COMPARATIO.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

- I. Calvinus melius aliquanto moratus quam Lutherus.
- II. Sed in concionando parum sacundus.
- III. Lutherana hæresis crassa, Calviniana subtilis.
- IV. Calvinum ambitio perdidit.
- V. Eius mordax & superba natura à Volmaro notata.
- VI. Tilletius Calvinum in Germaniam abducit.

I. **M**ULTUM sane duo illi novi Evangelij doctores Lutherus & Calvinus, qui ineptijs suis toti Mundo imposuerunt, tam moribus quam

opinionibus & doctrina inter se discreparunt. Calvinus quidem strictiorem vivendi disciplinam sequutus est, & secus quam Lutherus, à carnis & ventris voluptatibus etiam primo adolescentiæ ingressu alieniorem se ostendit. Lutherus enim abdomini serviebat, nec linguæ modrabatur; adeoq; in crasso corpore crassiusculum aliquanto spiritum alebat, Calvinus e contra tenui & macilentò corpore animum viridem & non minus consilio quam cum audacia cautum gestabat; homo etiam juvenili ætate cibi ac potus abstinentissimus, sive ut valetudini consuleret, ut qui continuis fere capitibus doloribus vexaretur; sive ut ad literarum studia, in quibus dies ac noctes erat assiduus, tanto esset alacrior atque expeditior. Beza ait alibi, vidisse se illum toto biduo ab omni cibo ac potu abstinentem. Ne vero quis existimet id superstitione quadam ab ipso factum, addit: Causas ieiunij huius fuisse, vetriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus præsentius remedium non esse quam incediam, vel certe temperantiam, experientia se edoctum affirmabat. Lutherus quæcumque splendida bilis suggereret evomebat; at Calvinus odium, invidiam, & quæcumque alia intimis recessibus condita habebat. Lutherus animum, quod dicitur, in fronte gestabat, nihil fere celans; at Calvinus summus dissimulandi artifex, subtristi vultu affectus à cogitationibus & verbis plane dissentientes mentiebatur. Lutherus genio indulgens, per summam hilaritatem tempus trāsigebat; Calvinus e contra summam in moribus affectabat gravitatem, nam & pauca & non nisi serijs atque arduis de rebus loquebatur, nec sensus suos facile expromebat: & quia natura erat melancholicus, paucorum hominum consuetudine utebatur, & eorum tantum quos morum similitudo ipsi conciliabat, solitudinè ita deditus, ut diceret, nunquam se minus solum esse quam quum solus esset. Ipse fateretur alibi, sibi naturam verecundam & agrestem aliquantum cōtigisse, quietem & tranquillitatem super omnia diligenti; eoque secessum se & latebras omnibus modis querere atque optare: verum tantum abesse ut voto suo hætenus potiri potuerit (vide iactantiam huius lucifugæ) ut etiam secessus sui loco publicæ scholæ habeantur. Ecquid hic homo vanæ gloriæ pruritu se ipsum titillare tibi videretur? Illud scilicet dicere vult, eorum Mūdum ad se tamquam ad alterum Iohannem Baptistam accurrisse, ut Christum ipsis monstraret. Similis scilicet Calvinus erat vesperilionibus, qui prius nidum non